



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Bellegambe è Societate Jesu Theologi,
Enchiridion Theologo Practicum Tripartitum, De Ivbilæo
Ecclesiastico**

Bellegambe, François

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Q. 4. An sufficiat, aliquanto tempore ante vel post supplicationem,
spatium decurrere Processionis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-42093

156 P. 3. De Jubilæo extraordinario.
statuit non Processionem, sed visita-
tionem Ecclesiæ.

R. 2. Qui interest Processioni, de-
bet, ut satisfaciatur, interesse devotè, ut
expressè habent Bullæ Innocentiæ
XII. & aliæ.

Q. 3. An sufficiat antecedere, an verò
Crucem debeat sequi lucraturus Jubi-
læum?

R. Sufficit sequi vel antecedere
Clerum: Quia, moraliter loquendo,
censetur conficere unum corpus sup-
plicationis. Et talis etiam est praxis.

Q. 4. An sufficiat, aliquanto tempore
ante vel post supplicationem, spatium de-
currere Processionis?

R. Sufficit, modò non sit nimia in-
tercapedo inter Clerum & præceden-
tes vel subsequentes, ita, ut possit dici
unum corpus morale supplicationis:
de quo corpore non videntur esse,
qui aliquot horas præcedunt, vel
subsequuntur; videntur autem esse,
qui unâ plateâ, vel uno quadrante
distant plus minùs, aut etiam majori
tem-

tempore, sed aliis & aliis semper subsequentibus, ita ut non censeatur Processio moraliter discontinuari.

Q. 5. An necessario è templo egrediendum, & ad illud redeundum?

R. Negative. Dicunt enim Doctores, quòd omittere partem levem operis injuncti (qualis est octava pars Sacri injuncti) non officiat Indulgentiæ consequentiæ. Unde similiter hic: qui inciperet à secundâ plateâ, vel finiret antequàm templum reintraret, videtur satisfacere. Neque enim est de essentiâ, è templo egredi, vel ad illud redire: cùm Processio fiat per plateas; proprieque dicatur Processioni interfuisse, licet ab ingressu templi abfuerit, maxime si multitudo Populi non pateretur ingressum, &c.

Q. 6. An, & quomodo visitanda sint Ecclesia?

R. I. Visitanda sunt, si absolute Bulla præscribat visitationem; non item, si sub disjunctione, ut sup. Respo. I. ad q. 2.